# IN LIBELLVM HIPPOCRATIS DE VIRGINVM MORBIS.

*COMMENTATIO PARAPHRASTICA.*


VBI DE MORBIS CAPITIS ET ALIIS QVI prodeunt ex intercepto, imminuto, deprauato & adaucto circulari motu sanguinis.


AC EORVM CVRATIONE.

*Atque expositione continua difficillimorum contextuum ex variis Hippocratis libris.*

Auctore M. CLAVDIO TARDY, Doctore Medico Parisiensi.

ECOLE DE SANTE DE PARIS 14 FRIMAIRE AN III
BIBLIOPATHES





PARISIIS,
Apud IACOBVM DE SENLECQVE, Archetypoglyphum, seu Typo ac Bibliopolam, in Palatio Norico prope S. Marcelli Portam.
Et apud CAROLVM DV MESNIL, viâ Iacobæâ sub signo Samaritanæ.

M. DC. XXXXVIII.
*CVM PERMISSIONE.*



ILLVSTRISSIMO VIRO D. D.

# ANTONIO BARRILLON

COMITI

CONSISTORIANO,

DOMINO DE MORANGIS, &c.

VIR ILLVSTRISSIME, *etsi te vnum suspicio & veneror iamdudum: Et nunc mihi grande sit piaculum his pusillis litteris non citare summæ tuæ integritatis & sapientiæ famam cui explicandæ vix Annales sufficiant. Attamen ne ingratus audiam apud te, hic quoque silere non debui aut dissimulare memoriam Germani tui, fortissimi & sapientissimi viri, cui viuo Optimus quisque benè precatus est, & qui post fata in omnium mentibus etiamnum viuit & viuet æternum, posteris daturus indeflexæ æquitatis exemplum; si quid amor patriæ, si quid benefacta iuuabunt. Hæc quidem fuit eius animi magnitudo per ardua quæque deducta, & quam ex oculis sublatam pacatiora tem-*

*pora requirant. Tibi vero eadem insita est & gentilitia virtus, sed cui omnes amore, reuerentia & amplißimis laudibus applaudant feliciore genio, inuideat nemo. Quæ mihi causa fuit, vt ex æmulatione proborum omnium quibus charißimus es, te quoque omni obseruantiæ genere colam, meique erga te obsequij testes tibi nuncupem hoc munusculum litterarium & vota quæ facio, vt inter eximios honores quibus fulges securus esse desinas nunquam & valere.*

Tibi addictissimus CL. TARDY.

# PRÆFATIO.

## *De lectione librorum Hippocratis et eorum methodo.*



METHODVS est ordo quo multæ definitiones, diuisiones & argumentationes accommodatè disponuntur ad illustrationem veritatis. Hic ordo duplex est. Vnus quidem quo nondum perspecta veritas detegitur & inuentiua methodus appellatur. Alter quo multæ definitiones, diuisiones & argumentationes latentem obiectorum naturam in apertum producentes inter se connectũtur, eaque methodus dispositiua dicitur. Hæc inuentiuæ methodo penè contraria est, quia plerumque progreditur à generibus ad species, à causis ad effectus & à notioribus secundum naturam ad ea quæ sensu notiora sunt. Inuentiua verò methodus à rebus sensibilibus & cuique cognitis exordium sumit ope sensuum & rationis. Vtitur autem quinque viis, nempe similitudine, distinctione, resolutione, compositione & analogiâ. Hippocrates vtramque methodum simul vsurpauit & coniunxit, quia eodem ordine quo veritatẽ detegebat & inuestigabat, eam quoq; mandabat scriptis. Inueniendi quippe munus difficillimum, necessarium tamen est, ideoque doceri debet ab egregijs præceptoribus, vt iisdem vestigijs inhærentes ea quæ desunt eorum laboribus adimpleamus eadem methodo.

Omnium verò præcipuè Medicinæ præceptores vti debent demonstrationibus, quarum principia petita sint à rebus vnicuique cognitis & sensibilibus, vt eorum conclusiones conspicuæ sint. *Quia videtur oportere differentem de rebus illius artis ea proferre quæ plebeijs nota sunt. Siquidem nihil aliud eum dicere vel inquirere conuenit, quam de morbis quibus ij ipsi tentantur. Etenim cùm sint rudes, haud facile est ipsis dignoscere quomodo corripiantur & liberentur à suis morbis, neque propter quas causas increscant aut minuantur. Attamen ab alio deprehensos & expositos expeditè concipiunt, quia nihil aliud quisque recordatur, quam quæ sibi contigisse audit. Quod si quis à sensu vulgi remota loquitur nec sibi conciliat auditores, ille pror-*

L. de veteri Med. f 5 v. 11. & seq.

*ſus aberrat à veritate. Ideo nulla propoſitio ſupponi debet in arte Medica*. Sed omnes ad examen ſenſuum diligenter expendendæ. *Quia ſi quæ* propoſitio non explorata ſenſibus ſupponeretur à medentibus, *tantum abeſt vt illa medicatio ſibi vindicaſſet artis nomen & exiſtimationem, quin hanc artem fictitiam ne quidem inueſtigaſſent vnquam veteres. Quia nõ opus eſſet ægrotis hac arte, ſi victus ratio qua qui valẽt vtuntur, eadẽ aut quauis alia bonis ægrorum rebus illis exhiberetur nec vna manifeſte cognoſceretur alterâ ſalubrior. Nunc verò ſenſu iudice neceſſitas hæc effecit, vt homines artem Medicam quærerent & inuenirent, quia benevalentium cibi ægrotis oblati quondam non proderant, vt neque nunc proſunt. Ad hæc ratum habeo ſuperioribus ſeculis neminem ſanorum victus legem qua nunc vtimur inuenturum fuiſſe, ſi victus idem qui prodeſt aliis animantibus homini quoque ſuffeciſſet. Quamquam mihi perſuadeo primos homines inexpertos hanc brutorum victus legem vſurpaſſe; noſtros autem cibos vtiles experientia & ſenſuũ miniſterio paulatim inuentos & excogitatos longo tẽporis interuallo, &c.* Sic Hippocrates artem diæteticam ſanorũ & ægrorum à maiorib⁹ inuẽtam docet ope ſenſuũ & rationis, eamq; perfecit eadẽ methodo qua ſcriptis illam conſignauit & accuratè demonſtrauit, ita vt à quovis è plebe poſſit intelligi.


Ita diagnoſis omnis inſtitui debet à præuia cognitione ſtatus illius in quo dum ſanitate fruerentur obſeruati fuerant illi qui curandi ſuſcipiuntur. Adeò vt affectus magnitudo deprehendatur ex receſſu à conſtitutione ſingulis familiari. Propterea iubet vt ex ipſomet initio quo medicus inuiſit ægrum, illius affectus diagnoſis inſtituatur ex inſpectione morboſi ſtatus & eiuſdem diligenti comparatione cum naturali. Quia ſumma diſſimilitudo magnitudinem morbi denunciat. Diſſimilitudo autem potiſſimum ſpectari debet ex ſignis, quæ maxima ſanitatem vel morbum ſignificandi facultate pollent & planè conſpicua ſunt. Hujuſcemodi ſignorum veritas nitere debet euidentiâ, quæ non modo ſenſibus eluceat, ſed & ad exactum mentis examen reuocata ſit. Etenim ſenſu deprehenſa reuoluere decet animo qui iudicat de propriis & communibus obiectis eaque inter ſe conferre poteſt. Sic in vniuerſum curandi ratio perficitur ope contrariorum, quæ non alio pondere, numero vel menſura dijudicari poſſunt quam ſenſu. Propterea decet vt omnis ſermo de rebus Medicis inſtitutus, ſiue principia ſiue concluſiones illius ſpectes, ab vnoquoque poſſit intelligi. Quia morbificæ omnes cauſæ, morbi, ſymptomata, præſidia eorumque facultates & effectus omnes ſenſibus ipſis patent.

Statim initio l. de offic. f. 662. v. 10. & ſeq.

Hippocratis itaque ſcripta quia de ſolis rebus medicis agunt, non niſi breuitate & inſcitia legentium difficilia ſunt. Etenim ſi pollere

m⁹ illis dotibus quibus ipse Medicinæ cãdidatum ornatum exoptabat, & earum ope probè callerem⁹ Aristotelis Philosophiã, partium corporis humani functiones omnes, vsus ac structuram & alia quædam necessaria. His auxiliis nocturna diurnaque manu diuini præceptoris libros omnes diu reuoluẽtes, extra dubium deprehenderem⁹ illos artis Medicæ singulare artificium cõprehendere. Porro Hippocrates viis omnibus inuestigãdæ veritati dicatis vsus est. Ita libro de natura pueri creberrimas similitudines vsurpauit, libro de locis in homine distinctiones adduxit innumeras, libro de principiis cõpositionem. Denique librum de natura humana petitis à compositione simul & resolutione corporis humani rationibus totum contexuit. At omnium maximè delectabatur analogismo, cuius ope grauissimas quasque difficultates explanauit, vt in libello, cuius in præsens interpretationem suscipimus & in plerisque aliis obseruare est.

Cæterum Medici recentiores multas mouent controuersias de motu sanguinis in orbem velut ætatis nostræ inuento. Verum motus ille jam quõdam cognitus probatur ab Hippocrate per causas varijs in locis. Idem probatur in hoc opusculo per effectus & morbos ex illius immutatione profluentes. Suppositi quippe principii veritas confirmatur omnium conclusionum & effectuum in illud vltimum resolutione. Quare posteriorum rationes spectari debent vt Hippocraticæ doctrinæ confirmationes. Illas autem hic & alibi omisimus ex professo, quia nostras tantum cogitationes scriptis consignare decreuimus. Ita vt ipsius Aristotelis & Galeni de quacunque re proposita rationes dum conspicuæ sunt reticeamus. Quia nolumus hæc opuscula scriptis alienis quæ videri possunt in ipsis fontibus intumescere. Quæ nostra sunt tantum proponimus quia nostra, nec in aliorum libris occurrũt. Ita prætermittimus Hippocratis contextus qui probè ab aliis expositi. Quare velim laudatos auctoris locos & interpretum commentarios inuisas; indeque nostros diligenti & benigna euoluas manu. Sic enim deprehendes eos genuinam & à nullo descriptam Hippocratis mẽtem cõprehendere. Alioquin enim quorumdam locorum latinitas rudis & inculta videretur, quia vt Hippocratis mentem planè sumus assecuti, sic & illius verbis addicti quantum fieri potest ab illis minimè recedimus. Insuper istud opusculum ex variis auctoris locis ad eundem scopum spectantibus contextum paraphrasticè commentati sumus, vt ea interpretandi ratione breuitati consuleremus.



# IN LIBELLVM HIPPOCRATIS DE VIRGINVM MORBIS COMMENTATIO PARAPHRASTICA.

INITIVM meis compositionibus siue meis scriptis præbēt propositiones cuique cognitæ, quæque perpetuæ veritatis esse deprehēduntur in arte Medica, velut ex inductionibus proximè repetitæ. Nec enim fieri potest vt communem morborum naturam perfectè cognoscamus vnquam, nisi singulorum morborū conditiones & causas omnes planè perspectas habeam⁹. Hæ vero nō aliūdè fiunt cōspicuæ quā ex symptomatis quæ sensu manifesta sunt. Quare sagax Medicus hujuscemodi symptomata dilig̃ẽter obseruare debet, vt intelligat ea dissimili modo ab iisdem causis plerumque excitari. Viceque versa causas easdem dissimilia symptomata inducere, propter humorum vel affectarum partium varietatem. Adinueniendi enim solertia familiaris esse debet omnibus artificibus, iisque potissimum qui circa obiectum nobilissimum multisque distinctum varietatibus versantur, quale est humanum corpus.

Analogismus autem tutissimus & vulgo notissimus est modus in inuestigandis latentibus rerum causis. Ideoque Medicus illius ope frequentiùs vti debet, quoties alicuius symptomatis indeq; morbi & causæ conditiones explorandæ veniunt. Quia dissimiliū symptomatum multitudo quandoque pendet ab vnico morbo; sicut morbi planè dissimiles profluunt ab vnico principio & causa. Proindeque principium illud diligenter inquirendum, quia tota symptomatum & morborum series in illud vltimum resolui debet, vt ab eodem primum processit. Nec enim quidquam certò scimus nisi conclusiones siue propositiones iam probatæ omnes & singulæ resolui possint ad primum principium cui nituntur, & à quo postremæ recta serie demonstrationum deductæ sunt. Siquidem siue probatio

Textu 48. l. 1. de Anima.

procedat

procedat ab effectibus ad causas, siue procedat à causis ad effectus, vnde duplex demonstrandi ratio; in vtraque tamen vnius demonstrationis conclusio perpetuo principium est alterius, itaut integra ratiocinationis series ab vnico principio pendeat.

Sic itaque per analogismum progredimur à pluribus symptomatis ad vnius morbi, & à pluribus morbis ad vnius principii comprehensionem. Quemadmodum torpor oboritur in tibiis & pedibus ex diuturna sessione, quia sanguis è natibus & coxis, quasi deligatione per fascias, exprimitur in tibias & pedes. Praetereaque per arterias nouus indesinenter influit, & ei propter compressionem venarum versus principia remeanti via non patet. Ideoque sanguis affatim collectus & immobilis ruborem cum stupore tibiis & pedibus inducit. Nec illis infert communia tantum symptomata, sed & propriam lædit pedis & tibiæ functionem. Simili ratione quauis in parte corporis sanguis affatim congestus, & plethoram particularem committens ad vires & ad vasa, in ea manet immobilis, nec torporem modo parit, sed & propriam offendit partis illius functionem. Ita dum nimia sanguinis, præsertim paulo crassioris, copia per arterias insignes subit cerebri sinus & venas omnes ex illis prodeuntes, nec inde refluit, ea confestim torporem parit in vniuerso corpore, nec non alias omnes facultatis animalis actiones lædit. Et reuera, sanguis vberior insinuatus in illas cauitates & venas, pro ratione copiæ, qualitatis & variarum cerebri mansionum quas afficit, nunc omnes, nunc aliquas illius actiones offendit. Itaut tamen vix vlla sit humoralis affectio cerebri, si quasdam cephalalgicas exceperis, cui torpor aliquis ab huiuscemodi vasorum plenitudine non sit adiunctus.

Id perspicuum fit ex accurata inspectione cerebri ægrotum, qui ex affectibus cataphoricis & paraphoricis intereunt. Eorum enim cerebri venæ, quasi varicosæ, liuentes & insigniter amplificatæ deprehenduntur. Ventriculi vero planè vacui ferè semper occurrunt, aut exiguo perfusi sero quod ab huiuscemodi venis exudat, extincto potius ægro quam adhuc superstite. Hæc inspectio planè conuincit hos affectus ab exuperanti copia sanguinis excitari. Ipsumque cerebrum circumiectarum venarum mole comprimi, & in angusto conclaui adeo intumescere, vt ægrè cieatur eo motu, quo solet explicari & contrahi; cuiusque defectu vel imminutione torpor oboritur, aut omnis facultas animalis corruit. Hinc etiam fit, vt qui vni ex illis affectibus obnoxii sunt; aliis quoque fiant opportuni, vel minimum mutato sanguinis impulsu penes locum. *Ita me-*

L. 6. Epid. sect. 8. f. 351. v. 26. *lancholici, comitiali morbo corripi plerumque solent; & epileptici reciproca* commutatione *fiunt melancholici. Alteruter vero morbus excitatur, prout humor* atrabilarius *in alterutram cerebri mansionem decubuerit.* Etenim si copiosior irruperit in medium sinum, qui magna cerebri vena dicitur; ac in geminos laterales, qui cerebellum à cerebro dirimũt: & ex illis influxerit in venas quæ callosum corpus & originem neruorum irrigant, vitiata cerebri structura motus epilepticos excitat; Quod si morbificus humor maiori tenuitate polleat, & inuadat superiorem cerebri sinum, cui torcular nomen est; ac in eius venas vberior effusus irrorauerit vniuersam cerebri molem, quæ mentis & principum facultatum sedes est, alterata illius temperie functiones principes deprauantur, & ægri fiunt melancholici. Quia sanguis, immediatum & proximè nutriturum partium alimentum, iusto copiosiùs in illas irrumpens earum functiones offendit. Aph. 17. sect. 2. *In quamcumque enim partem alimentum vberius influxerit, in ea morbum parit*; maximè si vitio copiæ vitium qualitatis accedat. Verum vt nostri principii veritas illucescat, exponendæ sunt omnes Apoplexiæ species, aliaque symptomata quæ prodeunt ex immutatione motus illius quo sanguis assiduo transmittitur è venis in arterias, & ex arteriis in venas denuo refluit. Ista quippe sanguinis motus immutatio commune principium est, ex quo plerique morbi profluunt, vt ex enumeratione constabit.

Itaque quatuor omnino sunt Apoplexiæ species causis, accidentibus & curatione inuicem distinctæ. Acut. sect. 4. f. 93. v. 55. Prima solius plethoræ soboles, absque vlla euidenti causa vel signo, nisi forte grauitate capitis præeunte, corripit. Quia cerebrum nullo doloris sensu præuio percellitur in Apoplexia sanguinea, propter humoris benignitatem. In hac igitur sanguis vberior affatim colligitur in cerebro, propter interceptas à plenitudine iugulares venas, vnde consueta sanguini remeandi commoditas adimitur. Cerebrum vero copiâ collecti & subsistentis sanguinis adeo comprimitur, vt ipsum subsidere & subsistere cogatur; & inde functiones animales concidant. Quia contractionis & dilatationis assiduitate vitiata, perit animalium spirituum generatio. Ita perit animalis facultas omnis, in perforatione capitis ab imperito Chirurgo, si terebra repentè penetrauerit ad cerebri membranas, & eas vehementer compresserit. Ita quibus Coa. 2. tractatus de tromatis. propter effracturæ, vel concussionis magnitudinem cerebrum subsidit, adeo vt inde non exurgat; illi mox priuantur omni functione facultatis animalis & vita defunguntur. Porrò qui laborant Apoplexia sanguinea, illico liberantur epaphæresi, pro virium modulo

celebrata: quia nulla cunctatione cerebri venas exhaurit, & illud onere subleuat. Ipseque sanguis, viarum meabilitate restituta, veteri naturæ redditur; vnde facultatis animalis instauratio.

Altera species Apoplexiæ quæ prænunciatur dolore capitis vellicante, & perturbatione mentis, committitur ab humore atrabilario qui nunc magis, nunc minus acris est, vnde symptomatum sæuitiæ varietas. In hac ægrorum facies saturato rubore suffusa deprehenditur; fixis & inconniuentibus oculis aspicere videntur; etsi planè torpidi sint. Eorum manus ac digiti distenduntur & diuelluntur à se inuicem, dentibus strident, frigent extremis & cōtractis maxillis, totoq; corpore rigido iacent insensibiles. Hæc omnia symptomata profluūt ex humore atrabilario, & acerrimarum fluxionum decubitu. Siquidem ferox ille humor in subiectas partes impluens, aut in ipsis cerebri venis diffusus, excessu caliditatis & siccitatis spirit⁹ humidos & aëreos exoluit, absumpto eorum humore. Internæ partes indesinenti vellicatione iactantur; ex illis autem venæ potissimum, quia vehementer exsiccantur, propter humoris influentis acrimoniam. Ex hac resiccatione sequitur earum feruor & tensio insignis, quia resiccatæ contrahuntur & angustantur, ac humores huiusce modi, quamquam malignissimos, auidius alliciunt. Hinc ferina distillatio benignum sanguinis humorem depascitur, ac eius consistētiam aliquando dissoluit. Laudabilium vero spirituum defectu substituuntur impuri spiritus, qui propter crassitiem & alienas qualitates ac humorum meatuumque vitium, hærent in viis in quibus humores impelli solent.

L. de glādulis f. 57. Acut. sect. 4. f. 94. v. 25. & seq. tum l. 2. de morbis f. 141. v. 12.

Itaque impedita sanguinis agitatione quæ calorem moderatum fouet, humores & membra refrigescunt. Quia calida quiete densantur & frigefiunt; vt eadem quæ frigida sunt, commutatione in contrarias qualitates, liquantur & incalescunt. Inopiâ laudabilium spirituum, siue luminis interni, cogitatio tenebrarum menti obuersatur, facultas motrix otiatur & vox ipsa deficit, materiæ vocalis & animalium spirituum penuriâ. Capitis autem grauitas illico inuadit, supra modum refrigerata parte quæ naturâ frigidissima est. Hinc extemporanea morbifici humoris incrassatio, & generatio phlegmatis, quod in subiectum pectus deciduum spirandi difficultatem auget. Apoplectici denique ab atra bile conuulsionibus tentantur, quia comitialis morbus ab atra bile magnitudine sola differt ab hac apoplexia, & in eam degenerat morbifici humoris incrassatione & augmento. Siquidem comitiales omnes, huiusce conditionis, aliquando tandem, propagatione humoris atrabilarij, apoplectici mo-

L. de glād. f. 57. v. 49. riuntur. Ideo apoplecticorum ab atra bile, *cerebrum conuellitur ac hominem totum distrahit.*

Hæc autem omnia symptomata ingrauescunt, potissimum postquam refrigeratio concretionis opifex, ad cor, ad hepar, aut ad venam cauam penetrauit. Quia partes illæ propter vbertatem caloris & spirituum sanguinem liquare solent, & alias omnes à concretione vindicare. Hanc Apoplexiam vix euadunt ægri, quin humor ille morbificus & fluxio decumbat in externas corporis partes, & in earum meatus angustissimos insinuata insanabilem paraplegiam vel paralysim commitat. Siquidem morbificus humor, ope conuulsionis, excutitur in partes imbecillimas, in quibus inopiâ caloris concrescit & impingitur. Ac in illis exsiccatur à spiritibus impuris & flatibus impetum facientibus ad erumpendum: siccandi quippe vis flatibus inest intensissima.

L. laud. sect. 4. Acut. Apoplecticos huiuscemodi fouere decet, vt sanguis liquidus & fluxilis efficiatur; moxque ducendus è cubito, priusquam denuo concrescat atræ bilis è cerebro defluentis, & impurorum flatuum malignitate. Licet enim sanguis aperto vase profluat absque fotu; plerumque tamen is erumpit quem subsistere prodesset, quia melancholici toto corpore raro plethorici sunt. Verum tunc peculiari eorum plenitudini consulendum, quæ prodit à concretione sanguinis circa caput, cuius præsidium est fotus: quia concretione dissoluta noxius humor educitur epaphæresi. Tum Medicus naturæ vires & impulsus in excretionibus promouendis diligenter obseruare debet. Etenim si natura, sua sponte, excretionem salutarem moliri possit, interturbare non decet illius conatus. At si nihil ipsa suscipiat, & paulo melius habeat æger, itaut deglutire possit; tunc ei cibum largiri conueniens est, ad instaurandas vires euacuationis magnitudine prostratas. (Alioquin enim neque cibum, neq; pharmacum præbere fas est vllis Apoplecticis, metu suffocationis.) Maximè quia fontem morbificum nunquam mouere decet, in summo cacochymiæ dominatu, priusquam magna pars illius vacuata sit per meatum minimè consuetum; sed remotiorem à proprio principio. At humor atrabilarius tunc temporis exuperat, & diffusus est in habitu corporis, ideoque sursum vacuari debet: melancholicis autem & biliosis omnibus vomitus à cibo prodest. Quod si vomitus, vt moris est, aluum non deiiciat, ipsa debet elui clystere. Verum quia principiũ humoris calidi, acris & atrabilarii infra diaphragma constitutum est, eum deinde vacuare decet ex ipso principio per inferiora, ope lactis asinini. Propterea quod haustum ma-

Tractatus nostri de Hippocr. purg. meth. f. 9. & 10.

iori copia; quantumque ferunt ægrorum vires catharticorum vehementium vicem gerit, nec eorum noxas inferre potest.

Tertia species Apoplexiæ, vehementi dolore frontis & oculorũ caligine prænunciata, committitur ab humore pituitoso. Siquidem caput à causis externis insigniter incalescens, & eo priuatum phlegmate quo totum madere solet, ac vniuersum corpus perfundit; idẽ phlegma cuius principium est auidissimè haurit è ventriculo cæterisque partibus subiectis. Illius autem tractio vehementior & vberior est, quo sinus & vasa quibus creberrimis cerebrum conseritur intensius incaluerunt; & maior phlegmatis cum proprio fonte similitudo intercedit. At omnium potentissimè trahit cerebri sinus superior, is enim vastissimus est, ab occipite ad intercilium exporrectus, oblongisque tubulis attrahit. Corporis enim partes amplis præditæ cauitatibus, angustis & oblongis orificiis facilius & vberius alliciunt. Itaque cerebri pars anterior acerrimè dolet in Apoplexia pituitosa, quia superior cerebri sinus in eam desinit; & ex eodem cerebri sinu vasorum multitudo distribuitur in cerebri substãtiam, quæ maxima ex parte fronti subest. Intercipitur autem visio, quia maxima cerebri pars, tunc æstuans & attracto phlegmate tumefacta, mollissimis incumbit neruis, è quibus in oculum proximè situm videndi facultas deriuatur.

L. 2. & 3. de morbis f. 141. v. 26 & f. 160. v. 11.

L. de veteri Med. f. 11. v. 29. & seq.

Priuatio vero functionis animalis inuadit vniuersum corpus; ex eo quod *pituita frigidissima humorum qui sunt in corpore*, in cerebri venas attracta compescit earum sanguinem. Subsistens autem sanguis refrigeratur: quia res etiam calidissimæ quiete refrigescunt. Bilis eadem quiete temperatur, & extinguitur ignis; vt è contra *quæcumque violenter agitantur*, etsi frigidissima sint, *incalescere coguntur ex impetu*. Tunc vniuersæ functiones animales concidunt; ipsumque cerebrum succorum subsistentium sarcinâ grauatum cogitur otiari. Verum si calor & spiritus è visceribus influentes, à concretione vindicare & impellere possint eum sanguinem cuius onere cerebrum comprimitur, euadit æger. At si phlegma spiritus influentes ac sanguinem superauerit, & alios humores omnes traxerit in consensum frigoris; eorum massa supra modum refrigerata cogitur, & tandem concrescit integra pestis illius propagatione. Tumque frigus partes hominis etiam principes occupans, in illis extinguit insitum calorem, vnde mors. Insuper istorum aliorumque omnium Apoplecticorum pulsus validus & plenus est, propter arteriarum plenitudinem; quia sanguis ex illis in venas obstructas exonerari non potest. Itaut concretio sanguinis, initium sumat ex venis & inde serpat in

L. de nat. hum. f. 13. v. 56.

L. de nat. hum. f. 13. v. 58.

Cur sanguis concrescat in viuentib⁹ non in mortuis, vide f. 18. lib. nostri de Hipp. purg. methodo.

arterias, impedito spirituum qui deuehunt humores commeatu.

Lib. 5. de morbis f. 160. v. 15. In hac Apoplexia cerebri pars anterior, quæ morbi sedes est, in primis exoneranda vehementibus sternutatoriis, modo nulla plethora subsit aut ei planè satisfactum sit epaphæresi. Et ne bilis cum phlegmate superas partes impetat, congenita tenuitate; ipsa vacuanda & reuellenda in proprium meatum, beneficio clysteris alicuius acerrimi qui torpentes sensus excitat. Itaut æger, sensuum functionis particeps, deglutire & haurire possit emeticum vehemens; quia pituita sursum purgari debet. Illud autem facultate & actu calidum sit, amplaque dosi hauriatur; vt vomitum celerius moueat, & aduentitio tepore foueat innatum calorem, cõcretionique sanguinis obsistat. Vomitum vero quàm citissimè concitare decet, vt acutissimo morbo præsidium præceps adhibeatur; & ne crebris & irritis ad euomendum conatibus, difficultas anhelitus augeatur. Insuper attenuatio pituitosis & motui sanguinis vtilis, quauis arte promouenda; vinoque tẽperandum per aliquot dies, quia soporiferum est. Denique nulla vacuatio celerius & magis prodest istis Apoplecticis, vt aliis omnibus, epaphæresi è iugularibus aut è ranularibus venis celebrata, quia iugulares ex illis immediatè prodeuntes, inaniunt. Quamquam in debili tantum Apoplexia, propter consertos dentes, ranularium sectioni locus est.

Ex his certo colligere licet, Apoplexiæ causam in cerebri venis & sinubus potissimũ contineri. Alioquin enim venæ sectio præsentissimum & præcipuum non esset Apoplexiæ præsidium; quia cerebri ventriculos exhaurire non potest: at ex eius sinubus & venis sanguinem mox educit. Ventriculi vero per infundibulum & ossis ethmoidis foramina tantum vacuari possunt in os & nares ope catharticorum. Hinc in Apoplexia pituitosa, in qua præcipuè ventriculi exiguum quid illius illuuiei excipiunt: purgationes particulares & vniuersales instituuntur, post venæ sectionem. In apoplexia melancholica purgatio per inferiora, post venæ sectionem à fotu. In Apoplexia vero sanguinea, sufficit vna venæ sectio, modo multiplex & vberrima sit. Alia est Apoplexiæ species ex illuuie multiplici soboLib. 5. de morbis f. 159. v. 10. & seq. lescens, similibus penè stipata symptomatis, qualia obseruare licet in apoplexia pituitosa, propter humoris in eandem cerebri partem decubitum. Nihilominus tamen ægri, propter humoris melancholici & biliosi dominatum, delirant & laborant acutius; ideoque deorsum repurgari, & vti victu refrigerante debent. Quarta species Apoplexiæ producitur à flatibus cum pauco admodum humore permixtis. Hanc autem deinceps declarabimus, post-

quam expoluerimus modum quo circularis motus sanguinis immutatio desipientiam inducit.

Sanguis itaque præcipua est deliriorum causa quoties à naturali constitutione insigniter recedit. Vt idem sanguis secundum naturam debitâ sibique semper simili constitutione præditus, omnium functionum perfectionis & sapientiæ est auctor. Hæc autem constitutio sita est in tribus. Etenim si vitietur penes qualitates primas, aut penes secundas à quibus consistentia sanguinis dependet, aut penes motum quo cieri solet assiduo: tunc ipsa mens & vniuersum corpus insuetis quoque motibus agitantur. Quapropter alienæ cogitationes hominum mentibus obrepunt, propter excessum qualitatum, & corruptelam substãtiæ sanguinis ac spirituum, eorumque impulsus insolentiam. Porrò delirationes quæ corripiunt, propter vitium sanguinis & spirituum, penes qualitates primas aut motum localem: illæ sunt breuiores propter alterationis facilitatẽ, & modo vehementius modo mitius affligunt. At si substantia sanguinis & spirituum materies corrupta & alienata sit: quia substantiarum corrvptiones denuo resarciri non possunt, illæ delirationes difficillimè curantur & ęgros assiduo exercent. Etenim corruptis fibris & exoluta substantia sanguinis, qui solet ex quatuor, sed è superiori potissimum sinu, & è venis ex eo productis in cerebri substantiam instillari: huiuscemodi nutritionis prauitate, vitiata cerebri substantia minimè consistit loco: sed quasi fluctuans agitatur. Ipsaque temperies quæ principum functionum causa est alienatur.

L. de flatibus f. 121. v. 9. & l. 1. de morbis f. 139. v. 11. & seq.

Eadem penè ratione sanguis à naturali quocumque modo insigniter deflectens, & multo sero dilutus eoque maligno & acri, delirationes inducit. Humefacta quippe cerebri substantia in propria sede commouetur, vt & spiritus ac ipsi nerui qui facultates ad organa sensuum deuehunt. Hinc omnium sensuum functiones interturbantur & intercisè fiunt; itaut incoeptæ confundantur ab obiectorum multitudine, quæ sensoriis inordinatè obuersari videntur, & agitantur vt ipsam et sensoria quorum neruus plerumque præcipua pars est. Ideo *quorum visio crebris* & intempestiuis, *motibus impellitur, illi sunt in metu insaniæ*. Simili ratione *quorum lingua tremula est*, & inconcinna proferunt, *illi minimè solida fruuntur cogitatione*; quia lingua profert qualia sensus deferunt & mente concipiuntur. Ita mulieres potius quam viri, & homines humidiori sanguine præditi, potius quam biliosi deliriis tentantur. Ita verna tempestas, austrinæ constitutiones & plenilunia calore & humiditate motus epilepticos & insaniam inducunt aut exacerbant: quia calor & humi-

L. de morbo sacro f. 127. v. 30. & seq.

Co. 5. cap. 7. l. 2.

ditas opportunæ sunt ad motum qualitates.

Contraria symptomata prodeunt à frigore, quod inducitur à phlegmate in cerebri substantiam & neruorum principium effuso: quia cerebrum totumque corpus,& ipsa potissimum sensoria rigiditate quadam correpta torpent & vix mouentur. In hoc affectu delirium cum obliuione,iactationes corporis,& inanes animi sollicitudines ægros exercent. Istæ desipientiæ species assiduæ sunt, quia cerebrum laborat idiopathice, & humor in eo diffusus hæret: nec vnquam refluit in subiectas partes, vt solet in insania per cõsensum. In hac enim morbificus humor, siue sit alterutra bilis, siue pituita vel flatus, ex hypochondriis ad caput excursu delirium parit, vt ex eodem recessu delirium sedat. Quia cerebri temperies,& illius conformatio familiari & legitimæ constitutioni redduntur meabilitate restituta,& humorum probitate quibus perfunditur.

Itaque principum functionum perfectio consistit in legitima cerebri constitutione, quæ pendet à laudabili & consueta sanguinis permixtione. Ita ut eximia sit illius temperies, consistentia tenuis, & admodum moderata sit agitatio qua cietur ex arteriis in venas. Nam si hæc agitatio deficiat, aut nulla penè sit, vt in somno propter sanguinis refrigerationem, Tum sanguis segnius impellitur, corpora grauantur & concidunt, sensus hallucinantur, ipsique oculi defectu facultatis influentis exuri videntur. Tum quoque functiones principes immutantur, & earum locum subeunt alienæ quædam cogitationes quæ vocari solent insomnia. Ex aduerso si motus sanguini familiaris augeatur, minuitur sapientia. Sic in ebrietate, repẽtina sanguinis vberioris eiusque calidioris & humidioris generatione, propter hausti meri copiam quod alimentum sanguineum est: mox aucto & immutato motu sanguinis, animi functiones immutantur. Propterea quod imaginibus obiectorum quæ spiritibus animalibus inhærent conturbatis & immutatis, ex appulsu vehementi sanguinis, animi cogitationes immutari necesse est. Hinc obliti præsentium calamitatum, temulenti futura sperant bona, minimè speranda sapientibus.

L. de flat. f.121. penè integro.

Consimiles multas opportunitates & causas proferre licet, in quibus immutatus sanguis ætatibus, regionum situ, morbis & vario rerum non naturalium vsu, dissimilis rerum æstimationis est auctor. Itaque si perturbatio & immutatio sanguinis vniuersi penes qualitates primas, consistentiam & motum quo cieri solet completa fiat, planè corruit sapientia. Quia non modo voluntatis & appetitus virtutes, sed & habitus omnes intellectus veritati cognoscendæ dicati,

positi

positi sunt in assuetudine. Quare quoties cerebrum recedit à familiari constitutione temperiei & structuræ, propter immutationem sanguinis, ipsa quoque rerum cognitio & vsus immutantur. Ita malignitate Peloponesiacæ pestis, in qua non modo sanguis & spiritus influentes immutabantur, sed & afficiebatur ipsa cerebri temperies; ex ægrorum mente planè deleti sunt omnes habitus, itaut propriorum nominum obliti fuerint.

Homo nullos instinctus, nec vllas species ingenitas habere debuit, vt arma nulla congenita; quia si congenita nactus esset ad pugnam vel pacem membra, foret incapax omnium quibus ope manus vti potest. Ita decuit intellectum produci cuiusvis instinctus & organi corporei expertem; vt omnia prorsus obiecta dignosceret, p. res vniuersales vt singulas, spiritales vt corporeas, minimas vt vehementissimas. At organum corporeum, neque simul neque vicissim potest esse capax omnium; quia nec se nec sibi similia, neque minima neque vehementia deprehenderet. Etenim corpus illud corrumperetur à vehementibus obiectis, minima non afficiunt, non similia, multo minus à se pateretur; corporis autem cognitio passione perficitur. Præterea singula corporis organa sunt vnius facultatis, & spectant ad vnicum genus. Verum mens omnium artium & scientiarum sedes, vna spectat ad omnia. Nihilominus tamen intellectus hominis indiget imaginatione & sensibus; vt obiectorum simulachra fideliter deferant. Siue quia ad eorum præsentiam & exēplar se ipsum configurat, quia spiritalis facultas à corpore pati & ab eo species admittere non potest. Siue quia species sensim depurgantur, quo magis ab obiectis recedunt; itaut in organis sensuum sint sensibilium formæ sine materia; propagatione penè spiritales euadant in phantasia, & tandem planè spiritales in intellectu depingi possint. Hinc fit vt eximia temperies, consistentia & moderatio motus exoptentur in sanguine, ad obeundas rationis actiones. Quia facultates animales omnes, ipsaque cerebri substantia pendent à sanguine, vt à materia. Verum temperies eximia principium est tenuis in sanguine consistentiæ, sinceritatis motusque circularis moderatissimi.

Lib. 1. de vsu part. cap. 1.

Lib. 3. de Anima textu 6. & 7.

Ea verò temperies origo sapientiæ, potissimum pendet ex accuratissima permixtione coniugationis illius primarum qualitatum quæ passiuæ dicuntur. Quia cognitio quæuis passione quadam & specierum receptione perficitur. Itaque mitissimi & cœlestis ignis, cuius ea benignitas est, vt humiditatis cuiusdam particeps esse videatur, diligentissima contēperatio cum aqua sincerissima & æthe-

Expositio textus ex l. 1. de diæta f. 88 v, 40.

rea, quæ facilè terminari potest, quasi siccitatis cuiusdã particeps, viros constituit sapientissimos. Quia scilicet hæc elementa, licet asymbola sint, quantum tamen fieri potest, ad vnionem mutuamq; complexionem, sibi viam parant, affinitate qualitatum quas denuo vicissim sibi communicant; itaut ex illis eximia temperies & opificium singulare producatur. Ea ratione sibi sufficientissima sunt: quia calor ignis illius benignissimi minimè populator & vstulatorius est. Ideoque proprium pabulum minus atterit, nec aquam deprædatur, quæ propter conditionum probitatem, multa non indiget elaboratione, nec facilè resolui potest.

Hæc itaque diligenter permixta sufficientissima sunt, ad perfectam rerum comprehensionem; quia temperies eximia quauis perturbatione vacat, nec eget accessione qualitatis vllius extrinsecæ petitæ ex alimentis. Eaque propter etiam minutissimas externarum rerum differentias & agitationes obseruare potest. Ignis huiuscemodi quietissimus est, non quod vigere possit absque pabulo, cuius necessitas absoluta est; sed propter innatum denuoque adauctum ab aqua humorem, & penitissimam vtriusque principii vnionem. Propterea quod *elementa penitus vnita, cuiusuis motus & agitationis immunia manent; si vero tantum confusa sint, sese inuicem afficiunt & à se vicissim patiuntur.* (Phys. 4. textu 48.) Ex aduerso aqua dotibus assignatis prædita, citissimè nulloque negotio cietur, & admittit species; quas diligentissimè refert ope niditatis & sinceritatis, quia *quod exquisite sincerum, quosvis etiam minimos impulsus, & quidquid exceperit fidelissimè reponit.* (Arist. l. de insomniis)

Ex concentu principiorum huius conditionis constituta temperies, sapientiæ functionibus obeundis opportunissima est. Nec non & ipsius memoriæ, cuius ea necessitas est, vt tantum sciamus quantum memoriâ tenemus. Vt enim quietior anima sapientior, ita maiori memoria pollet: quia frequentiâ & vehementiâ motus species expunguntur. Ideo temperies innata cerebro frigidior est, omnesque sensus in recessu positi: quia cum deprehensuri essent vniuersæ naturæ mutationes eos oportuit esse omnium expertes. Insuper frigus ex accidenti confert ad sapientiam, quia caloris excessum reprimit & agitationem sedat; alioquin enim si vel minimum exuperet, defectu coctionis spiritus & sanguinem inficit. Et omnino si temperies opportunissima sapientiæ infringatur, accessione qualitatis alicuius alienæ; itaut alterutrius principiorum vis augeatur aut deficiat, emergit intemperies absurdissimæ stoliditatis causa. Quia dimoueri non potest à concentu perfectissimo quin ruat in deterrimum.

His ita conſtitutis, ea poteſt eſſe flatuum malignitas & copia: vt animalem facultatem non mediocriter offendant. Ita lien frigidũ ſiccumque viſcus, ad huiuſcemodi flatuum generationem admodum procliuis eſt. Proptereaque ex illo & è vicinis partibus, excitati flatus arcem rationis eâ vehementiâ aliquando impetunt; vt ipſa moueatur intempeſtiua commotione & alteratione ſanguinis ac ſpirituum. Quin imo non humores modo, ſed & iidem flatus impedito motu diaphragmatis, propter illius compreſſionem torporem mentis efficiunt. Quia diaphragma laudabili ſpirituum vitalium generatione, ad quam libera flabellatione conſpirat, & è ſexto pari neruorum participatione multum confert ad ſapientiam, ſi probè ſuum munus exerceat. Quare quoties humorum vel flatuum collectio quædam diaphragma comprimit, ipſum torpet vt omnes aliæ partes compreſſæ. Pręterea que propria illius actio quæ libera reſpiratio eſt offenditur, & ipſa mens grauatur diaphragmatis torpori conſentiens.

Porrò ſi maxima copia flatuum frigidiſſimorum per arterias in vniuerſum corpus emittatur ex illis partibus, ea non modo ſpiritus animales extinguit & cogit ſanguinem; ſed & in partes carnoſas & ſenſibiles inſinuata compreſſione torpores illis inducit. Nam compreſſio quæ contingit ab internis cauſis ea torpores inducit efficacius, quam quæ contingit ab externis. Quare flatus in vniuerſum corpus effuſi, vel in ſolum cerebrum, vehemẽti compreſſione principii ſenſitiuæ facultatis, vniuerſalem torporem & Apoplexiam pariunt. Iidem verò per vnicum membrum diffuſi partis illius Apoplexiam efficiunt illæſis aliis. Ille torpor à flatibus excitari denunciatur oſcitationis aſſiduitate, dum flatus impetunt caput, ac inuaſionis & ſolutiõnis promptitudine.

Lib. de flat. f. 121. v 2. & ſeq.

L. de vet. Med. f. 12. v. 1.

Simili ratione quędam morbi Conitialis ſpecies inducitur à flatibus, quia dum paulo minor flatuum copia, quam quæ facultatem prorſus opprimit & cogit ſanguinem, maiores venas ſubiit; & in eas inſinuata permanet, propter eorum cum ſanguine permixtionem. Tum motus aſſiduitas ſanguini familiaris corrumpitur, quia ſubſiſtit in aliquibus venis, in aliis pigro procedit motu, celerius alias peruadit. Ac inde propter inæqualitatem circulationis illius, quæ per vniuerſum corpus agitatur, inæqualis & plane confuſus eſt obiectorum ſenſus in membris, ac in mente cogitatio. Totum verò corpus diſtrahitur & agitantur illius membra, propter inſignem perturbationem ſanguinis in venis; quia confuſa corporis agitatio procedit, & imperatur à confuſa cogitatione. Propterea tunc

temporis ægri iacent insensibiles, nec propriam calamitatem percipiunt; quia præter morem permixti flatus insueta ratione sanguinem vehementer conturbant & inquinant. Huius epilepsiæ paroxysmi sedantur incalescente sanguine, propter agitationem corporis, & opem calefacientium exterius, vt frictionum ac fotuum quibus dissoluitur. Incalescens enim sanguis calefacit flatus qui tepore dissoluuntur: ipsique calefacti reliquum sanguinem nondum dissolutum liquant. Flatibus itaque qui deprauationem circularis motus in sanguine committebant erumpentibus, partim cum spiritu, partim cum fuliginibus ex habitu, ideoque deferuescente spuma, sanguis natiuæ constitutioni deinceps breui restituitur.

Ita vertiginem à solis flatibus excitari vulgo receptum est. Nihilominus tamen altera illius causa est inchoata vasorum cerebri plenitudo compressionem fugacem inducens, quoties efferuescit & turget intempestiuo rerum non naturalium vsu. Nam constat experientiâ, vertiginem detracto sanguine plerumque illico desinere. Nec non eundem affectum in Apoplexiam degenerare plenitudinis incremento. Quare vertigo soboles plenitudinis epaphæresi, quæ fit à flatibus purgatione percuranda. Ita diariæ quædam febres oriuntur excitata toto corpore phlogosi qua carnes intumescunt, ac bilis & plegma sistuntur in venis, propter earum compressionem. Tunc itaque calor extraneus inuadit sanguinem, quia neque repurgatur fuliginibus & excrementis, neque familiari motu flabellatur, aut frui potest liberioris & frigidioris aëris commercio.

L. de locis in hom. f. 70. v. 14. & seq.

Sic angina contingit hiberna aut verna tempestate, dum vehemens multi lentique humoris fluxio in venas iugulares internas è capite decumbit, & eædem venæ ruentem illuuiem liberaliter admittunt. Tunc enim magnus ille decubitus, insitæ frigiditatis & lentoris ope, non modo commeatum sanguinis intercipit in venis quæ propagantur è iugularibus ad laryngem: sed & in partes vicinas effusus, indeque laryngem comprimens, adimit libertatem respirandi. Huiuscemodi quippe fluxio pariendis obstructionibus opportuna, frigoris & lentoris ope sanguinem naturâ suâ frigidum sistit in venis, & contactus assiduitatę concretum reddit. Hinc ægri suffocantur, lingua liuescente ac rotunda reddita & reflexa; propter eas venas quæ linguæ subsunt. Resectis enim latis gargareonis vinculis conspicitur vtrinque vena crassa, iugulares internas vocant lateralibus cerebri sinubus continuas. Quoties itaque supra modum turgentes exuperantiam deponunt, tum sanguis ad viscera sensim & familiari motu non refluit, sed impetu. Quare lingua rari-

Acut. sect. 4 f. 95. v. 42. & seq. Eadem leguntur l. de locis in hom. f 71. v. 1. & 2.

tate qua pollet innata, & aduentitio calore squalida, fluxionem vehementer irruentem allicit ex illis venis. Sic extemporanea collectio & linguæ tumor excitantur, à quibus angina inducitur acutissima. Hæc autem curatur vtriusque cubiti & linguæ venarum sectione, sine mora & crebro celebrata. Tum præsidiis omnibus internis & externis p. fotu, gargarismis ac potu tepidis, emollientibus & concretioni sanguinis obsistentibus.

Ita rigor excitatur à causis internis, dum bilis aut phlegma vel vtrumque simul in morbis sanguini permiscentur. Merum verò phlegma vehementiorem rigorem mouet, quia frigidissimum, vt sanguis humorum calidissimus est. Ipsa quippe bilis, propter siccitatem & inopiam spirituum, sanguine frigidior est. At è contra sanguis humore benigno pollens vbertate spirituum perfundi solet. Itaque bilis & phlegma simul aut alterutrum sanguini permixta cogunt sanguinem. Non equidem perfecta & vniuersi sanguinis cõcretione, qualis extemplo perimeret aut induceret Apoplexiam fortem, propter eximium à calore & tenuitate consueta recessum ad crassitiem & frigus. Verum leuiori quæ nascitur ex humoris frigidissimi permixtione vel à corruptione spirituum quos bilis malignitas exoluit. Sanguis ea ratione refrigeratus & incrassatus contactu frigefacit corpus, itaut rigor fiat vehementior quo maius inductum frigus. Etenim venæ magis aut minus contractæ, coacto & in exiliorem molem confluente sanguine, corporis membra tremore, rigore vel horrore solo distrahunt. Maximè quia serum, dum venæ contrahuntur, ope tenuitatis exprimitur in partes exquisito sensu præditas. Illud enim propter insitum frigus & acrimoniam neruosas partes percellit, & ad tremorem dispositiones perficit.

L. 1. de morbis f. 137. v. 7. & seq.

Lib. 4. de morbis f. 175. v. 3. & seq.

Ita coxendicis dolor inuadit, dum bilis aut phlegma ex præeunte morbo, vel aliundè quocumque modo decumbunt, & in crurali vena quæ multo sanguine turgere solet obfirmantur. Sanguis enim concretus à permixtione bilis & phlegmatis à familiari constitutione multum recedit, & penes motum circularem vitiatur: quia cietur incerto motu quocumque vena cruralis exporrigitur. At vbi conglobatus humor subsistit, dolor vrget in ea parte vehementior, etsi minimè lethalis. Quia dolor ille mitescit concretos humores liquantibus & emollientibus vasa balneis, fomentis & suffitibus, qui purgantibus humores morbificos & alterantibus viam sternũt. Similis affectus aliquando lædit venas omnes & vniuersum corpus. Nã si viscus aliquod, puta Ren, affectu graui corripiatur, vt nephri-

Lib. de affect. f. 184. v. 45. & seq.

side; mox omnes venæ compatiuntur intemperiei & cacochymiæ propagatione. At omnium maximè venæ debilitatæ suscipiunt illuuiem cuius malignitate laborant renes. Quia gemini patentissimis ostiis ex aliis visceribus & venis hanc expurgant.

L. de internis affect. f 197. v. 17. & seq.

Ideo renes affecti nephritide, propter interceptionem officii, cacochymiam refundunt in venas vberrimo sanguine turgentes. Ea verò qualitatibus alienis venarum robur exoluit, laudabiles inquinat succos & motum sanguinis corrumpit. Illuuies autem biliosa dextras potissimum partes afficit, propter situm iecoris cuius impulsu primum deturbatur in ischii cauitatem. Deinde progressu temporis exporrigitur ad vniuersum crus & tibiam, partes illas omnes acutissimo dolore discrucians. Vbi verò peruenit ad externum malleolum pedis & ad pollicem, tum propter humoris tenuitatem, dolor ad caput resilit & in eo vehementer vrget, itaut ipsum disrumpi videatur; & oculi rubore suffundantur, totumque corpus æstuet. Tantus affectus, administratis aliis præsidiis quæ sanguini meabilitatem reddunt, expugnari debet bilem deorsum repurgantibus. Verum si motus sanguinis æquabilitas hac arte restitui non possit, æger incrassari debet hausto lacte, quod alimenti probitate bilem temperat & auget carnes, quarum circumiecta moles venas comprimit & angustat. Sic enim segregatæ bilis motus & propagatio sistitur, infringitur & excoquitur diligenti permixtione cum cæteris humoribus; vt eadem propagatur agitata. Inustiones crebræ lateris affecti scapulæ, ischii, cruris & tibiæ curationem numeris omnibus absoluunt. Quia parti robur addunt & humorem morbificum partim exhauriunt, partim compescunt, itaut neque sursum neque deorsum propagetur.

Eodē loci f. 198. v. 1. & seq.

Ebrietas ex initio morbi, missis aliis omnibus præsidiis, attingit omnes scopos curationis; hæmorrhagia quippe permultos & solos affectus biliosos exoluit. Nullum vero præsidium tutius & certius hæmorrhagiam promouet, in ægris ad hanc euacuationis speciem procliuibus, quam producta in multos dies liberalis generosi cuiusdam vini dilutioris potio. Quia vinum fœcunda spirituum generatione facultatem excretricem, vitalis omnes erigit, sanguinē concretum liquat, & impellit ad caput, ac emollit vasa quibus effluit. Ita sanguis, putridæ bilis permixtione, quandoque subsistit

Lib. de inter. affect. f. 107. v. 10.

in venis quæ corporis habitum nutriunt, aut in illis quæ circumstāt articulos. Ea vero motus interceptio torpores inducit (vnde typhus morbo nomen) & affectarum partium functiones deprauat.

L. de in-

Porro phlegma pollet iisdem, quibus ipsa bilis, viribus inducen-

in

dæ motus inæqualitatis in sanguine quæ plurium morborum parens. Siue spectemus ipsum, recens è cibis ingestis quotidie genitũ, quod in aluina regione continetur & allicitur à capite. Siue spectemus phlegma vulgare, quod exceptum maioribus venis vagatur, & nulli certæ sedi hærens in omnes partes impelli potest. Siue deniq; spectemus phlegma vetus quod album dicitur, & ab exilibus effusum venis habitum corporis vniuersi tumefacit. Nam tres illæ pituitæ species segnitiem inducunt, imminuto motu sanguinis, & proprias partium functiones offendunt. Ita prolapsus vterus crurales venas aliquando comprimit & intercipit motum sanguinis. Hinc extremorum frigus ac torpor, & generatio flatuum, qui palpitationem cordis inducunt. Hinc quoque mulieres voce priuantur, ac epilepticorum more membra iactant, & quæcumque desipientes absurda moliuntur. Verum tot affectibus liberari possunt extemplo; quia torpor ille contingit ex interceptione venarum cruralium, quæ rectæ sunt & amplæ. Ideoque frigidæ solius affusio, matrice reddita sedi propriæ, commeatum sanguinis & omnium functionum integritatem breui restituit. Eodem planè modo quo pedum torpor & obambulandi difficultas ex diuturna sessione mox desinunt, hominis erecti pedibus in frigidam immersis.

*ternis affect. f.198. v. 15. & seq.* — *Lib. 2. de morbis mul f.278. v. 27. & seq.* — *L. de Virg. morbis f. 23. v 19.*

Cæterum prudens artifex, non tantum reddit circularem motum sanguini, vasorum meabilitate restituta, sed etiam venas aliquando angustat & infringit motum sanguinis, vt occurrat affectibus qui prodeunt ab illius motu citatiori. Sic vterini fluoris immanitas compescitur iniectis vtrique brachio simul, paulo supra cubitum, necnon vtrique cruri, paulo supra genu vinculis. Ea vero lata, crassa & succida esse debent, quia comparata sunt non vt vehementia doloris sanguinem reuellant, sed vt inhibeatur illius motus venarum compressione & interceptione. Hæc enim propter ossium rotunditatem & paucitatem carnis, facilius inducitur paulo supra articulos crasso mollique vinculo. Dolor autem, reuellendo sanguini accommodatus, in ipsis articulis & in extremis partibus exili & duro vehementior inuritur. Ita vasis aliquando amplitudinem, aliquando angustiam conciliare, multum prodest. Sic enim circularis motus sanguinis, naturali & consueto celerior, compescitur; vel idem motus, naturali tardior aut deficiens, instauratur.

*Lib. 2. de morbis mul. f.264 v.34.* — *L. 6. Epid. sect. 2. part. 1.*

Constat ex dictis morbos, qui profluunt ex interceptione, diminutione aut deprauatione circularis motus, omnes epaphæresi percurandos. Vtrum verò conferat morbis in quibus sanguinis motus circularis naturali & consueto citatior est, dubitari potest. Quia

[illegible]

sanguis exigua quantitate vasis inclusus celerius mouetur, quam copiosiori; ideoque magis accenditur; quia calor à motu producitur vt à calore motus. Verum præter alias causas, propter quas detractio sanguinis refrigerat, obseruandum venarum plenitudinem potu qui trahitur à venis inanitis illico resarciri. Itaut sanguis, admixto potu dilutior, magis humefaciat & refrigeret, quo potus copiosior in venas rapitur educto sanguine. Itaque quoties incrassandus est sanguis obest epaphæresis, ideoque minus probanda dum profusioris hæmorrhagiæ metus est. Quia sanguis admixto potu fluidior efficitur, vt ex illius resolutione constat. Iterata quippe pluries epaphæresi, sanguinis moles exigua supernatans adaucto sero sensim minui conspicitur. Quamquam in illis etiam morbis detractio sanguinis magis prodest reuulsione & refrigerio, quam fluiditate obesse possit; nisi profusior hæmorrhagia frigus aut horrificã febrim habeat adiunctam. Sic in vterino fluore stipato malignissimis illis symptomatis, & vniuersi corporis torpore funesta est; quia *detractio sanguinis in omni torpida perfrigeratione, perniciosa est.* Hæc est prima libelli pars quæ de morbis capitis, & aliis qui prodeunt ex immutata circulatione sanguinis: sequitur altera quæ de virginum morbis, ex eodem principio profluentibus.

Lib. 2. de morbis mul. f. 160 v. 13. & 37. Coaca 18. §. 13. l. 2.

Inter assignatos affectus & deliria, quæ profluunt ex immutato circulari motu sanguinis numerari debent vehementes & intempestiui terrores, quibus imbecilla quorumdam hominum mens adeo percellitur, vt aliena planè phantasmata sibi fingant, aut infestos dæmonas se videre putent, etiam interdiu. Ab hujuscemodi verò spectris sæuiter & assiduo exercentur, quia pendent ab imaginationis deprauatione, quæ perpetuo præsens compellit eos in atroces angustias, quibus se vna morte liberandos existimant. Mulieres autem facilius incidunt in hæc deliria, quam viri; quia cerebrum virorum solidiori pollet consistentia, nec non temperie calidius & siccius est. Prætereaque spiritus influentes vberiores habet à corde; propter irradiationem facultatis vitalis & animosæ, quæ longè prestantior est in viris, quam in mulieribus. Eapropter cum cerebri temperamentum principes actiones edat, mulieres earum functionum organum imbecillius nactæ, deterius illas obeunt & crebrius experiuntur earum deprauationes.

Ex illis autem virgines maturæ viro deliriis frequentius tentantur; propter interceptam muliebrium illuuiem. Vt euidens est ex eo quod antequam superfluum sanguinem colligant mente moueri non solent. Tunc enim sanguis in vteri cauitatem descendere

nititur,

mititur, statis circuitibus deinceps effluxurus. Vbi vero interius orificium reseratum non est; & ad hanc ætatem peruenerunt in qua sanguis partibus vterinis vberior influit. Vt fieri solet decimo quarto ætatis anno; in quo propter incrementum caloris facultates & actiones omnes excellunt. Ideoque cibi copiosiores ingeruntur, propter appetitiuæ facultatis augmentum; ex quo sequitur amplificatio corporis vniuersi, maximeq; meatuum qui tendunt ad partes pudendas; in quibus est alter natiui caloris focus. Vnde partes illæ vberiori calore vehementius attrahunt; vt ex vniuerso corpore decubitus est humorum qui funduntur & excrescunt, emicante natiuo calore qui spirituosas, humidas, solidasque partes omnes adauget. L. de genitura f. 36.v.10.

Tunc itaque sanguis affatim collectus, impedita fluendi libertate, resilit è locis muliebribus ad partes vitæ dicatas vnde profluxerat, & earum venas distendit. Nec principiorum modo vires premit onere suo; sed & ipsas venas supra modum tumefacit, vnde motus spiritibus & sanguini familiaris intercipitur: quia non est in vase pleno locus, in quem fiat impulsus. Hinc vires cordis effœtæ languent: quia nec satis contrahi nec dilatari potest, propter ventriculorum plenitudinem. Calor autem natiuus, in quo sitæ sunt vires, imminuitur intercepto motu: quia calor à motu fouetur & producitur, vt à calore motus; ab immobilitate vero frigus & stupor emergunt, vt immobilitas à frigore. Quapropter ipsum cor, imbecillius se gerens in obeundis vitæ functionibus, aliarum quoque partium segnitiei causa est; quia facultates omnes erigere & ad officia impellere natum est. Hinc facultas animalis torpet, nec satiscit in solis sensuum functionibus & motibus arbitrariis: sed & in ipsa facultatis principis actione. Quia facultates omnes sitæ sunt in spiritibus & calore, quorum beneficio singulæ proprias actiones exercent. Ideoque iudicii soliditas imminuto calore, propter impeditum vitale robur à copia sanguinis, non modo minuitur insigniter, verum etiam plerumque deprauatur. Rationis enim deprauatio contingere potest inopiâ caloris, oppressa vel exoluta facultate. Quamquam *deliria quæ prodeunt à prauia virium exolutione, pessima sunt.* Coac. 66. lib. 1.

Quemadmodum verò qui diu sedent, multum sanguinem colligunt in tibiis & in pedibus; quia venarum partiumque carnosarum compressione, quæ penè similis est illi quæ fit ope fasciarum, sanguis exprimitur in partes vicinas & inferiores. Prætereaque progressu temporis per arterias impulsus vberior influit, & inde remeandi libertas adimitur; ex eo quod arteriæ propter crassitiem &

profunditatem, comprimi nequeunt vt venæ. Tum plenitudine venarum & arteriarum, facultatis vitalis, quæ cæteras impellit ad officia, commeatus intercipitur in pedibus; vnde caloris exolutio & incrassatio sanguinis in venis, & imminutio sensus ac motus. Nec pedibus ad ambulãdum pristinum robur vnquam restituitur; quin sanguis ad superas partes & propria principia refluxerit, vt solet frictionibus & motu, quamquam primum difficili. Citissime verò refluit, hominis erecti pedibus frigidæ immersis ad venas spectabiles & malleolos vsque; quia facultas vitalis & spiritus, frigore collecti, sanguinem velocius impellunt.

Huius autem torporis solutio facilis est: quia sanguis impetu naturali facilè refluit ad partes nutritias vnde profluxerat, adiutus à venarum rectitudine. Maximè cum partes illæ sint ignobiles, ideoqve iuuari possint à principibus & sanguifluis irradiatione facultatum: potissimumque illius quâ natæ sunt humores homogeneos allicere. Vbi verò naturæ principia laborant, non est vnde quærant auxilium, nec adest ea venarum rectitudo refluxui opportuna. Cordis enim venæ vel desinunt in pulmonem, vel multiplici diuaricatione obliquantur. Iecoris autem, lienis & renum totiusque abdominis venæ, adeo sunt exiles aut obliquæ, vt assiduis penè laborent obstructionibus; eoque facilius quo sanguinis vbertas maior.

Propterea sanguinis motus interceptus, æqua facilitate non soluitur in partibus vitæ dicatis, & in illis proprias functiones offendit, vt in pede sensum & motum. Sic interceptio venarum iugularium parit in cerebro facultatis animalis integræ priuationem. Sic interceptio venarum quæ disseminantur in præcordiis, delirium & maniam inducit, inopiâ caloris & spirituum vitalium corruptione. Quoties enim calor extraneus dominatur in illis partibus, spiritus & aliquando humores putredine inficiuntur. Spirituum verò vitalium corruptionem sequitur animalium coinquinatio. Proindeque functiones animales, quæ perficiuntur illorum ope, deprauantur. Opera quippe redolent conditiones opificis & organorum quibus fiunt.

Calor autem alienus accenditur in puellarum præcordiis, ex muliebrium suppressorum refluxu: quia partium illarum venæ, tumentes exuperanti copiâ sanguinis, liberè difflari non possunt. Ideoque calor innatus & spiritus, à quibus humores impelli solent, extinguuntur. Eorum verò locum subeunt impuri spiritus & extraneus calor, putredinis indeque functionum deprauationis auctores. Ita-

que calor extraneus accensus in visceribus natura calidissimis, ex bile segregata symptomaticos mouet horrores, qui propagantur ad superas partes & caput: quia defectu raritatis extrinsecus in ambientem resolui non potest. Virginum enim corpora, propter angustiam pororum, prorsus inepta sunt insensibili transpirationi, horrores autem huiuscemodi, qui corripiunt ex irrito naturæ fatiscentis conatu, propria non carent malignitate. Quia consectarias habent febres erraticas, & humoris suppressi propagationem ad cerebrum & caput.

Dum verò misellæ virgines ad eum calamitatis gradum peruenerunt, ingrauescente in dies morbo: tunc idiopathice delirant, propter acrimoniam quam concipit humor effusus è venis in substantiam cerebri. Verùm si fuerit ex se biliosus, aut ex euentu contracta putredine; quia quiuis humor putrescens in bilem transit. Illæ fiunt *maniacæ, vociferantur, sunt maleficæ & semper aliquid intempestiuum moliuntur.* Mania quippe constare videtur ira & delirio: propterea que pronunciatum, *quorum pectus bile saturatum est opportuni sunt ad maniam.* Ita *collectio sanguinis ad mammas furoris augurium dicitur; vt & arteriæ cubiti pulsatio vel palpitatio vehemens.* Quia functionis irascendi assiduitas comitatur ac auget feruorem sanguinis circa cor, & ad maniam dispositiones perficit, ipsaque ira furor breuis iure merito nuncupatur. Sic in puellis, biliosi sanguinis refluentis impetu, prior afficitur irascibilis facultatis sedes, & ipsum diaphragma cui cerebrum compatitur, tum deinde & caput idiopathice laborat, humoris propagatione. Siquidem mox incalescit & afficitur ab incendio in partibus vitæ dicatis concepto; ac tandem ad cerebrum transmissa bilis furorem inducit.

L. de morbo sacro f. 127. v. 36

L. 2. Epid. sect. 6. f. 38. v. 22.

Eodem f. v. 48.

f. 317. v. 40.

Si verò suppressa illuuies fæculenta & melancholica sit, misellæ virgines incidunt in melancholiam morbum: cuius signa pathognomonica sunt perseuerans metus & tristitia. Inanis autem illius metus ea est aliquando vehementia; vt in quæque grauissima se se præcipites agant, vel minimi cuiusdam mali fugiendi desiderio. Sic anxiæ propter partium thoracicarum compressionem quæ terret eas imagine suffocationis, vera certaque suffocatione, quæ laqueo fit, mortem sibi conciliant. Quod si contingat vt virgines præditæ sint humido & lento plurimoque sanguine, qualis opportunissimus est ad putredinem, sanguinis motus interceptio committit in illis dissipationem caloris: vnde tota sanguinis moles corruptis fibris exoluitur. Huiuscemodi corruptionis species, omnium pessima, quibusdam pueris familiaris, coloris expertes eos efficit, & ægrè

L. 2. Coa. Dur. cap. 13. sent. 14.

ſpirantes inter ambulandum, ac eſum terræ concupiſcentes.

Hæc autem ſymptomata prodeunt ex interceptione circularis motus ſanguinis in vniuerſo corpore, quæ motus omnes ægros efficit, vt in pede particularis interceptio. Et reuera, quamquam plerumque diſſimilis eſt conditio ſanguinis, virgines omnes ictericæ languent, & ad opus omne ſegnes deprehenduntur. Quia ſanguinis motus interceptio circa partes principes vniuerſo corpori torporem parit. Eapropter vrgeri debent ad exercitia, quantum ferunt earum vires; & artes omnes adhibendæ quibus reſtituta circulatione incraſſatio ſanguinis impeditur. Ita frequens tepidæ balneum, diureticæ potiones & vinum præſcribuntur omnibus ictericis. Vinum quippe facultates omnes erigit, & concretum ſanguinē diſſoluit, vberrima ſpirituum generatione & motu.

L. de locis in hom. f. 70 tum f. 204. & 205.

Stomachi verò deprauatus appetitus, quo prorſus aliena concupiſcunt, oritur ex illuuiei conditione qua ventriculus & corpus vniuerſum turgent. Ventriculus enim ſuccos appetit contrarios illis quibus alluitur. Vnde ſi ſtagnans illuuies humida ſit, res ſiccæ appetuntur; qualis omnium maximè eſt terra. Verum præter qualitates contemperandi humoris, impuri & alieni ſpiritus ex humoribus alienatis, alienos quoque appetitus, vt cogitationes efficiunt. Etenim ſicut illi qui pollent vbertate caloris & ſpirituum lucidiſſimorum, de rebus eximiè ſentiunt, nec vnquam deſpondent animo; ſed è contra de futuris euentibus omnium maximè ſperant. Ita qui laborant inopia caloris & humorum ſpirituumque ſpurcitie, adeò ſemper hallucinantur & anxii ſunt in omnibus animo deſpondentes, vt calamitates & infortunia ſibi ipſis conciliare videantur.

Optima quæque & accommodata pernicioſa & aliena ſuſpicantur, eaque formidabilia nuncupant. Quin imo ſumma animi deiectione impelluntur, vt in atrociſſima mala ſe ſe præcipites ferant: ſic in puteos inſilire geſtiunt, & laqueo ſuſpendi deſiderant. Quaſi res illæ, planè terribiles, omne punctum bonitatis ferrent: nec vlla ſummæ fœlicitatis adumbratione deſtituerentur. Quodque magis ſtupendum eſt, adeò vehementi mortis ipſius, quaſi cuiuſdam boni cupiditate detinentur: vt ex illius cogitatione perfundi voluptate videantur. Hęcque ſine ſpectris aliquando ſibi fingunt, aliquando cum ſpectris, quæ non alibi quam in imaginatione delirantium cōſiſtunt. Phantaſmata quippe conditiones redolent humorum & ſpirituum, quibus vt propriis ſubiectis inſunt. Huiuſcemodi verò delirantium puellarum ſpiritus & humores, adeo contrarii ſunt conſuetis & laudabilibus: vt mirum non ſit eos rerum phantaſmata

veris & familiaribus planè contraria referre.

Verum postquam delirantes puellæ resipuerunt, earum matres pessimi morbi curationem Dianæ affingunt. Et illi Deæ, quasi medicatrici, maximi pretii munera vestesque muliebres locupletissimas consecrant; à sacerdotibus in quorum vtilitatem cedunt ea dona præscribentibus deceptæ. Quamquam reuera tantæ calamitatis causa est vna suppressio muliebrium, quæ motu sanguinis intercepto concretionem sanguinis in venis & inde toti corpori cunctisque facultatibus torporem parit. Aut inducta putredine, virtutes infringit quibus vniuersum corpus administratur. Quia calor extraneus vehementior & naturali contrarius, in puellis minime repurgatis *musculosum genus exoluit, relaxat neruos, mentem stupefacit & animi deliquia parit, à quibus vt plurimum mors consequitur.* Quare genuina tot affectuum curatio pendet in illis ex libero & liberali muliebrium profluuio. Aph. 16 l. v.

Illud autem nullo præsidii genere sollicitatur euentu certiori, quam si missa omni cunctatione connubio iungantur. Quia nulla supposititia pharmaca, nec vlli suffitus vnquam celebrari debēt aut possunt in puellis, quarum claustra nondum reserata sunt, & quarum vterus exilis agitari non debet, ne quidem catharticis vehementibus. Concubitus autem permultas præstat commoditates ad euacuationem muliebrium; quia meatus diducit & amplificat, vniuersi corporis calorem auget, ac humores liquat & allicit efficaciter. Prætereaque promouet excretionem seminis quod in puellis, propter vasorum seminalium structuram, plerumque effunditur in vteri vel in abdominis amplitudinem, vbi putredine tragœdias horrendas excitat. Vix tamen concubitus vnquam prodesse potest, quin absit omnis affectio gratior, p. tumor aliquis in vtero genitus, aut vitiata conformatio, vel insignis intemperies. Propterea quod insignis intemperies innatum calorem reddit ineptum excretioni, vt aliis functionibus obeundis. Omnium verò maximè calida, quæ materiam muliebrium rapit ad superas partes & viscera. Hinc fit vt laborantes æstu viscerum virgines, etsi connubio iungantur, nūquam tamen muliebria liberè & liberaliter profundant, quin propriis præsidiis intemperies emendata sit. Siquidem *concubitus aduersatur increscentibus morbis*, & intemperiei calidæ: vt *morbis à phlegmate*, & intemperiei frigidæ *prodest.* L de nat. mul. f. 214. v. 23. L. 6. Epid. sect. 5. f. 515. v. 55 & eodem f. v. 21.

Insuper ipsamet euacuatio muliebrium plerumque non sufficit curandis quampluribus mulierum morbis: nisi præterea semen hæreat in vitam fiatque conceptio. Siquidem morbi muliebres omnes

originem ducunt ab vtero, proptereaq; vix perfectè sanari possunt, antequam vterus planè sit assecutus vltimam naturæ suæ perfectionem. Vteri verò sanitas & summa perfectio pendet à grauiditate, quippe quæ proprius est illius finis. Sic hydrops vteri non sola muliebrium profusione; sed grauiditate maturoque partu percuratur. Sic vterus inclinans in ischium, pessimaque symptomata inducens, ope grauiditatis, veteri loco pristinæque sanitati planè restituitur. Sic vlcus vteri, superueniente grauiditate, cicatrice obducitur: quia vacuatio muliebrium quæ præcedit conceptionem detergit vlcus, vt vniuersum corpus. Semen autem recens exceptum balsami vicem gerit; itaut illius benignitas, & ex eo progeniti fœtus ac membranarum contactus, vlceris ad sanitatem perducendi scopos omnes attingant. Ita deprauatus vteri motus, & illius fluores compescuntur. Harum omnium curationum causa est semen, & ex eo progenitus infans. Vterus enim, quia proprius est seminis & puelli locus, eiusque continendi causâ constructus, à fœtu numeris omnibus absoluitur & adimpletur. Natiuus enim concepti puelli calor vteri vires erigit, & languentem calorem instaurat, à quo sanitas vtero totique corpori conciliatur. Et reuera si puerorum probè constitutorum contactus exterior vieta senum corpora recreat, quanto facilius puelli calor vberrimus elanguidum calorem matris reficiet & adaugebit?

L. de nat. mul. f. 214. v. 12. & l. 1. de morbis mul. f. 248. v. 9. & f. 247. v. 38. L. de nat. mul. f. 215. v. 17. Lib. 1. de morbis mul. f. 249 v. 32. Lib. 2. de morbis mul. f. 270 v. 17. & 35. tum f. 271. v. 14. tum f. 266 v. 35. f. 268 v. 22. f. 269. v. 4.

Præterea grauiditas alia ratione virginum morbos exoluit. Etenim quædam virgines opportunissimæ sunt affectibus vterinis: ex eo quod earum vterus propter officii vacuitatem & priuationem propriæ functionis marcescit, aut admodum exilis remanet. Propterea que consistere nequit in sede consueta; Sed plerumque sursum, modo deorsum, nunc in intestinum rectum, nunc in vesicæ sphincterem vel in alterutrũ latus incumbit: in quibus variis symptomatis misellas virgines exercet. Vbi verò grauiditas insitum calorem excitauit, diduxit meatus omnes: & vterinum corpus constituentes membranas insigniter amplificauit. Tunc vterus propria consistit mole firmus & constans, ac in hypogastrio ligamentis strictioribus annexus manet immobilis. Vixque deinceps hystericas passiones excitat, nisi corruptela seminis, aut humorum quos fundo continet. Quamuis enim post partum sensim gracilescat euacuatione lochiorum, nihilominus tamen vterinum corpus longe maius remanet, eiusque venæ deinceps efficiuntur ampliores. Itaut muliebria profundat laudabilius, & in sede firmius consistat.

Insuper corporis habitus, ideoque & ipsius vteri soliditas, quæ

puellis quibusdam connaturalis, menstruæ purgationis suppressionem committit. Suppressa verò illuuies vt plurimum refluit ad superas partes, potissimumque ad eas quæ calidiores & rariores. Huiuscemodi autem sunt pulmones & mammæ; tum primum extuberantes & excipere paratæ consortis vteri sarcinam, calore iure societatis concepto. Hinc grauis & turpis vberum moles in aliquibus excrescit, arte nulla deinceps emendabilis. Aut eadem illuuies, pulmone repleto viisque spiritus interceptis, committit orthopnœam: cuius tandem leuatio fit liberali menstruorum vacuatione.

Non ideo tamen labes impressa parti prorsus eluitur, iisdem in prima grauiditate muliebrium materia subsistens excurrere procliuis est ad pulmones & vbera, in quibus aliquando iam sedem fixerat: quia tunc vteri societate incalescunt. Vixque pulmonis repleti tumor desinit absque suppurato mammarum in quas exoneratur ipse pulmo. Id enunciatum non est de solis vberibus, sed de quacumque parte corporis affecta in puellis, à suppressis aut serius quam par esset prodeuntibus menstruis. Aliàs enim pariunt in aluo dysenteriam, è naribus hæmorrhagiam, sanguinis expectorationem similiaque symptomata: quæ profusione muliebrium desinunt, & rursus afficiunt octauo mense primæ grauiditatis, nisi consulatur illis epaphæresi. Coaca 40. de muliebribus.

Menstrua verò sursum transmissa deteriora sunt, & inustas ab illis læsiones vocare licet affines illis affectibus, qui recurrere consueuerunt in primiparis dum fœtus octimestres gerunt. Quia fœtus octimestres minimum sanguinem tunc exhauriunt, propter ægritudinem. Ideoque in vniuerso matris corpore maior superfluit exuperantia succorum, procliuis in infirmiorem partem decumbere: qualis ea quæ iam laborauerat. Eadem verò pars & humor affines morbos pariunt: & planè curatos affectus denuo post multos annos instaurant. Ex eo quod eædem virgines, connubio iunctæ dum primiparæ sunt, in habitu iusto solidiori & venis angustioribus excipere & continere non possunt omnem sanguinem qui colligitur, sed exuperantem deponunt in imbecilliorem partem. Sect.3.l.2. Epid. bis f.316.v.20 & 23.

Ita soliditas habitudinis vna est ex causis cunctantis muliebrium vacuationis & decubitus illius qui contingit octauo mense grauiditatis in partem quæ circa pubertatem laborauerat. Quia circumiectæ carnis firmitas angustat venas; itaut in prima grauiditate, dum necessitas vrget vberioris humoris continendi, non sinat earum venas amplificari. Sicut eadem carnis firmitas prohibuerat

hanc illuuiem foras excludi, dum minimè repurgatæ pubertatis annos agerent. Siquidem huiuſcemodi puellarum vterus exilior, & corporis habitudini ſimilis, ſanguinem non excernit quem vitio nimiæ ſoliditatis & paruitatis excipere non poteſt. Hinc emergit varietas ſymptomatum quæ prodeunt à ſuppreſſis muliebribus. Ea enim propagantur in virginibus ad partes reſpirationi dicatas & ad caput: quia propter anguſtiam vaſorum colligi non poſſunt in vtero, vel circa vterum. Aliæ verò mulieres, eæque potiſſimum quibus vteri geſtatio familiaris, diſſimili planè ratione lædi ſolent. Quia præditæ ſunt molliori carne, veniſque toto corpore quodammodo varicoſis & amplificatis ex attritu corporis, potiſſimumque circa vterum. Propterea enim magnam ſuccorum copiam ſine læſione continent, ad extremos dies grauiditatis. Quod ſi muliebria vel puerperia ſupprimantur in illis mulieribus, colliguntur potius in vteri cauitate, venis aut ilibus, in quibus excitant homogenea ſymptomata, licet etiam aliquando tranſmittantur ex illis ad ſuperas partes.

Initio l. 1. de morbis mul.

Agitur autem peſſimè cum virginibus illis quibus naturalis & inſita eſt viſceris alicuius, aut partis alterius labes. Quia circa pubertatem ſuppreſſa illuuies irruit in imbecillum viſcus, eique detrimentum parit deinceps indelebile. Ea verò labes omnino calamitoſior eſt, quo ſerius connubio iunguntur. Quia quoties vberior ſanguis in venis & viſceribus æſtuat, vt earum ſexui familiare ſingulis menſibus, inſtitutas à natura vias eruptionis minimè reſeratas nactus, decumbit in aliam partem quæ ſuperuacaneis excipiendis opportunior. Ea autem eſt quæ natura vel caſu contingit imbecillior. Propterea virgines illæ ſingulis menſibus augentur damnis: & nouos in affectas partes decubitus experiuntur, à quibus periodica læſio functionis aut dolor.

Nulla verò pars corporis, frequentius & euentu calamitoſiori, læditur in virginibus à ſubſiſtentibus menſtruis, quam lien. Quia ſitu, ſtructura ſubſtantiæque raritate & officio, recrementis illis muliebribus excipiendis opportuniſſimus eſt. Ideo ſi gẽtilitia & innata labes illius viſceris accedat, ea non modo prolicit muliebria ſubſiſtentia propter alias rationes: ſed & ipſa ſupprimendæ illuuiei cauſa eſt. Siquidem vterus ideo ſentinæ munere fungitur, quia eſt pars imbecillima corporis. Vnde ſi lien aut alia pars vterum vincat imbecillitate, & excipiendi aptitudine: ipſa collectionis humorum ſedes efficitur. Propterea virgines illæ quamcitiſſime tradendæ viris: antequam labes inſita, malis in dies ſuccreſcentibus, augeatur.

Itaque

Itaque si virgines minimè connubio iungantur, etiamsi robustissimæ sint & omnibus naturæ donis exornatæ, nihilominus tamen vix vnquam fieri potest, quin aliquibus ab vtero symptomatis afficiantur in ipsa pubertate, vel paulo post. Solum verò concubitum plerumque non sufficere, patet ex eo quod illæ quibus vteri gestatio familiaris est, ab hystericis affectionibus immunes euadant potius, quam steriles. Quippe quæ morborum qui virgines inuadunt, vt vitæ conditionis & infœcunditatis fiunt participes, etsi condormiant viris. Steriles à Græcis dici videntur στεῖραι, quasi στερεαί, quia soliditas & inflexibilitas vteri princeps est sterilitatis causa. Vter⁹ enim circa semen colligi & vehemẽter contrahi debet, vt illud quãquam minima mole præditum, diligẽter amplexetur vndique. Ex aduerso postremis gestationis mensibus, adeò diduci & amplificari, vt etiam magnæ vel multiplici fœturæ sufficiat.

---

## *Exercitatio de natura mulieris.*

MVliebris naturæ perfectio pendet à grauiditate, maturoque partu. Quare muliebritas definiri non debet per muliebrium profusionem, sed per hominis perfecti generationem & partum. Siquidem definitio rerum naturalium fine potissimum constare debet, à quo deriuatum est definitionis nomen. Quia quamquam Philosophus naturalis per alias omnes causas demonstrare soleat. Illæ tamen omnes reuocantur ad compositionem corporis alicuius naturalis, puta muliebris, vt ad finem & ad obeundas illius functiones; quæ sanè non aliæ sunt in muliere, quam gestatio fœtus & illius educatio. Quare muliebris naturæ definitionem constituere oportet Aristotelis imitatione, fœminam definientis animal in se generans, ex quo fit quod generatur. Itaut mulier definiatur, homo in se generans, suóque alibili succo nutriens in se & extra se ad speciei perpetuitatem &c. Similis enim generatio & nutritio, finis est naturæ fœminam producentis. Patet itaque muliebritatem in facultate generandi & alendi in se & extra se, velut in vltimo fine, cõstitutam esse. Propterea que vterum, & vniuersum muliebre corpus spongiosum molleque constructum esse, quo facilius vberrimum sanguinem contineret, alendo fœtui. Quia finis inter causas naturales diuinitatis vicem gerit, & illius necessitas absoluta vincit alias omnes hypotheticas, ipsumque opificem. Hepar enim muliebre non alendæ soli mulieri, sed etiam fœtui eius veluti comparti, san-

guinem conficit; vt hepar mutili resecto membro.

Verum vt res euidentius elucescat, intelligendum naturam dupliciter spectari; nempe quatenus intendit opera, & quatenus eadem perficit & exequitur. Intentione quidem prima, nunquam nisi ad optima & perfectissima contendit. Altera verò dum non potest optima consequi, diuertit ad proximè meliora, assequiturque quod potest; Hinc enim φύσις & productrix appellatur. Itaque natura muliebris ad fœtus productionem, intentione prima contendens, hanc assequi non potest sine materiæ alibilis vbertate. Quapropter muliebre iecur ex ingestis alimentum conficit, matri fœtuique suppetens intra vterum alendo; deindeque extra vterum lactationis ope: Ita ut mulieres plerumque rursus gerere incipiant ante absolutam nati prioris educationem, possintque triginta circiter annos continuos absoluere, in illa vicissitudine nutritionis in vtero & lactationis nullomodo menstruales. Puerperiorum enim purgamenta sunt nutritionis fœtus, potissimum iunioris, excrementa potius quam matris.

. Verùm quia necesse est ad vbertatem materiæ, accedere robur opificis; muliebris vterus non minus expetit virile semen, quam materia prima formam. Propterea quod seminis & ex eo progeniti fœtus virtute, quasi radio diuinitatis & vltimo fine, numeris omnibus absoluitur. Vt enim materia prima totius essentialis physici pars altera est, eaque deterior; ita etiam mater fœtum, quasi totius integrantis physici formam vltimumque finem agnoscit; Nam fœmina mas mutilum dicitur Aristoteli. Quidni ergo ex duobus entibus imperfectis, & connexionem planè necessariam habentibus, perfectum possit coalescere, fœtusque nondum perfectus vacuam mulierem, ideoque imperfectam, locorum plenitudine perficiat, & honorifico matris nomine venerabilem? Insuper arctior inter ipsos continuitas & necessitudo videtur intercedere, quam inter plurimas nostri corporis partes. Ita dentes gingiuis contiguitate tantum cohærent, nec sunt congeniti, nec eidem perpetuo manent, aut commoriuntur. Mulier tunc temporis tantum dicitur esse integra & perfecta, dum gerit vtero; quia totius & perfecti eadē natura est apud Aristotelem, idque definiuntur, cuius nihil est extra; imperfectum verò nec integrum, cuius aliquid est extra. Verum in matris vacuitate fœtus abest & extra est, ipsam præsentiā sua perfecturus. Siquidem locatum loci finis & perfectio est; vt cerebrum cranii, cor thoracis & pericardii; proindeque fœtus mulieris & vteri finis & perfectio est.

Phys. 3 c 6 textu 63. & 64.

Adde fœtuum cum plantarum fructibus comparationem, qui licet maturi quidem sua sponte decidant: virides tamen ad arboris integritatem spectant, nec nisi maxima vi propter continuitatis renixum decerpuntur; ita ut vix euelli possint ex arbore, sine surculi detrimento. Simili quadam ratione nondum perfecti fœtus, quia matris integritatem perficiunt, ægrè prodeunt in lucem sine fœtus & fœtæ pernicie. *Abortiones enim periculosiores sunt, quam partus; quia fieri non potest, vt fœtus citra violentiam corrumpantur. Violentia verò formidabilis est* in artis & in naturæ operibus; quia violentum naturali aduersatur. *Læsiones autem mulieribus ex abortu familiares sunt inflammatio, vel vlcus vteri*; quia fœtus & matris vnio dissoluitur, ac in ea diuulsione sita est abortus natura, non in eiectione fœtus. Abortus & fœtus corruptio synonyma sunt, vt partus & productio, quia fœtus immaturus pendet ad vnione cum matre, maturus autem per se viget, nulloque negotio dissolui potest. Propterea grauiter aberrant qui in periculosis grauidarum affectibus abortionem mouent. Tantum enim abest vt exoneratæ fœtu, velut inutili sarcina subleuentur: quinimo damnis augeri & ad necem viam parari quotidianus euentus comprobat.

Lib. 1. de morbis mulierum f.253 v.20

Itaque fœtus quodammodo matri compars est, nec tantum ad illius integritatem confert, verum etiam ad sanitatem. Quia pleræque grauidæ menstrualium incommodis affici non solent. Id Hippocrati placuit enuncianti *si mulier non sit menstrualis, nec rigor vllus, neque febris illi superueniat, conijce ipsam vtero gerere.* Quia rigor & febris pluraq; huiusce modi solēt vacuas mulieres impurgatas exercere, quarum grauidæ manent expertes. Tantaque concepti fœtus & seminis est virtus; vt ipsius insiti caloris irradiatione maternus intendatur, sitque potentior functionibus obeundis. Hinc mulieres & animantes brutæ gerentes vtero, nisi morbus aliquis obsistat, eadem planè seruata victus lege magis pinguescunt, quam vacuæ. Hinc tertio septimoque mensibus veri lactis generatio, quæ à calore præter naturam nunquam perficitur. Hinc etiam fit vt extinctus aut imbecillimus in vtero puellus, quasi lapis aut quid alienum, pronus concidat. Atque pubes & pudendum matris frigida perseuerent, quæ vigente fœtu calida deprehenduntur. Et abdominis tota compages tensa cohæret, spiritibus & calore à fœtu profluentibus perfusa. Nec fœtus seorsim concidit, dum communi cum matre vita perfruitur, & mutuis officiis gaudent. Ex his colligere licet, naturam & finem muliebritatis in generatione & nutritione fœtus, intra & extra vterum, constitutam esse. Tum maximè quia sanguis

Aph. 60. l. v.

L. de nat. pueri f.34. v.32.

illius materia est; nulla autem definitio debet assignari per id solum quod commune, qualis materia est. At è contra definitio & essentia sita est in proprio cuiusque rei fine maximeque propria parte; idque sonat nomen definitionis. Itaque muliebritas definienda non est per materiam suam; multo minus per eiusdem superfluitatem aut periodicam euacuationem, quæ contingit in sola frustratione à fine.

Porrò facultates functionibus, finibus & obiectis circumscribuntur; & ab illis etiamsi externis essentiam sumunt. Verùm muliebritas est facultas naturalis cuius obiectum est fœtus generandus, finis autem eiusdem generatio & nutritio, ex superfluo sanguine. Proindeque muliebritas est facultas generatiua & nutritiua fœtus, in se & extra se per aliquod tempus, ex superfluo matris alimento, ad speciei perpetuitatem. Quare muliebritas sita est in generatiuitate fœtus, sanguis autem superfluus non ingreditur illius definitionem, nisi reductiuè & in obliquo, vt medium ad finem & materia ad compositum. Ex his manifestum est mulierem ex prima naturæ intentione non esse menstrualem. Quia dum finem consequitur & fœtum nutrit, in hoc opere vniuersum sanguinem superfluum potest absumere. Nec etiam secundâ, qua si non valet optima vt marem consequi, diuertit ad proximè meliora nempe fœminam. Quin imo si vtràque frustratur, incumbit potius generationi molæ, quàmquam nocinæ vel inutilis summoque sui dispendio; quam menstrua periodo thesaurum suum, & ad vltimum finem medium, profundat inuita. Nec nisi dum ex optimo fit morbi causa, eaque inter malas pessima. Quapropter existimandum non est, naturam alia intentione menstruam vacuationem moliri, quoties aberrat à fine proposito, quam qua morbificis causis expedire se nititur. Quod autem dixit Hippocrates Phaëtusam γυναικωθῆναι non potuisse, sumi debet eodem sensu quo Grammatici dicunt humana pati, id est corripi molestissima, quamquam familiari, naturæ muliebris affectione.

Aph. 60. (margin, beside "quam nocinæ")

L. de mor. muli. (margin, beside "Quod autem dixit")

## *Conciliatio trium Aphorismorum.*

Lib. de ster. f. 192. v. 8. QVæcumque mulieres temperatæ, sanguineæ & probè coloratæ sunt, illæ *si puellum gerunt vtero macula quadam notari solent in vultu; quæ verò coloris decorem seruant, vt plurimùm puellam gerunt.* Id autem contingit, quia natiuus calor in illis quæ marem gerunt adaugetur,

& ritè temperata sanguinis earum moles, accepto quodam caloris gradu, transit in biliosum sanguinem, qui saturato colore faciem matris inficit. Si verò puellam gerunt, minimè bilescit sanguis, quia minus est incrementum caloris; ideoque laudabilis earum faciei color idem perseuerat. Propter eandem causam, *quæcumque mulieres vtero gerunt* & bile multo sero diluta superfluunt, siue marem siue puellam gerant, *ephelide fœdari solent in vultu.* Eædem *grauiditatis initio vinum auersantur, fastidiunt cibos & assidua nauseatione iactata serosa frequenter expuunt.* Etenim calor auctus in muliere grauida præexistentem bilem temperare non potest, sed eadem suppressa superas partes impetit. Augeri verò calorem, præter assignatas rationes, conuincitur ex respiratione & pulsu grauidarum maiore, crebriore & celeriore. Eodem l. & f. v. 4.

Quin imo, pituitosa *mulier vtero puellum gerens laudabili colore suffunditur; quæ verò puellam,* perseuerat *decolor* aut fœdiori colore coinquinatur. Siquidem pituitosæ & albæ mulieres plurimo scatēt muliebri profluuio; propterea que contingit vt illuuies à primis grauiditatis mensibus suppressa regi & excoqui nequeat à natura fœtus, ratione sexus & ætatis imbecillioris. Proindeque sui conditiones exhibet in vultu, qui pars est vicina pituitæ fonti, rarissima & imbecillima totius corporis, ideoque superuacaneis excipiendis opportunissima. Itaque natura pituitosæ mulieris, suppressione muliebrium per aliquot menses, obrueretur, nisi suppetias ei ferret insitus fœtui calor, cuius irradiatione continentur & excoquuntur. Hæc autem illuuies longè facilius regi solet à natura fœtus masculi quam puellæ, quia multo validior. Quare suppressa muliebria non tantum continentur & impediuntur, ne grauiorem aliquam perniciem inferant; sed etiam perfectè coquuntur & transmutantur in succum planè laudabilem, qui sanguineus est & probi coloris parens. Ita specie tenus dissentientes Hippocratis Aphorismi componuntur & ex illis genuina veritas elicitur. Aph. 42. sect. 5.

---

## *Carotidis arteriæ distributio.*

CArotis arteria penetrat intra cranium multiplici diuaricatione, materiam spiritus animalis & vitam cerebro largitura. Ea tamen cerebri substantiam nullibi subire deprehēditur. Quia mox in aditu & in ipsis cranii meatibus dirimitur in plures surculos, qui duplicaturâ duræ meningis excepti deducuntur in singulas capitis

regiones. Omnes autem ab intima superficie, qua crassa meninx cerebrum tangit, insigniter recedunt; ne læuitas illius admodum necessaria corrumperetur. Extimæ verò superficiei supereminent & extuberant, ita ut multum conferant ad illius asperitatem; cuius ope suspensa meninx cranio contumaciter & immobilis adhæret. Maximè quia plures earum surculi penetrant ad ipsam diploen, & in administratione trepani deprehendi solent ex pulsu. Ita, præter peruulgatos, eximius illius arteriæ ramus insculptum cranio canalem sibi fingit; & à meatu lacero fœcunda propagatione producitur ad oculos, inter duas ossium tabulas insinuata.

Sic omnium maximè spectabilis in externa superficie meningis, folij ficus similitudinem perficiens, ad sinum superiorem & vniuersum sinciput, occiput ac frontem multiplici diuaricatione propagatur. Ex istius pulsu vehementiori, propter humorum & flatuum membranas vellicantium & diuellentium malignitatem, dolores capitis penè omnes excitantur. Hic arteriæ Caroticæ ramus insignis, ab omnibus Anatomicis tanquam vena descriptus, à me primum detectus est ac indicatus multis philiatris; & tandem publicè demonstratus, annuentibus peritissimis qui aderant Anatomicis & Administratore Chirurgo celeberrimo M. Gabriele Bertrād. Porrò surculus vnicus, ex distributione Carotidis arteriæ, ceruicali iunctus & confusus cum venæ magnæ ramis, obliquè deducitur ad ventriculorum cerebri cauitates, in illis plexum choroidem cōstituens. Hæc arteria, per meatum Caroticum ingressa & vnita ceruicali supra sellam sphenoidis, spiritus animalis materiam suppeditat. Qui superest sanguis, ad cerebri nutritionem venæ magnæ siue quarto sinui distribuitur, indeque tribus aliis sinubus: ex quibus ad viscera per iuguli venas refluit.

Arteriæ cerebri distributæ sunt hoc artificio, quia necesse est mēbrum frigidissimum & humidissimum viuificis spiritibus vberrimis recreari. Verum ne motus cerebro familiaris interturbaretur, opportunum fuit illas arterias disseminari circa cerebrum & intra illius cauitates. Sic enim cordis irradiatione frui potest, nec tamen illius motus ab arteriarum pulsatione perturbatur. Itaque natura paucissimas & admodum exiles arterias in cerebro collocauit: easque in illius basi & obliquè deduxit, sic commisit cum venæ magnæ siue quarti sinus ramis, qui plexum choroidem constituunt. Ne scilicet ex appulsu directo sanguinis arteriosi vberioris, plexus choroides, cerebri ventriculi & illius vniuersa moles vehementius agitaretur. Hinc enim, conturbatis spiritibus & obiectorum simula-

chris, actiones animales omnes præcipites & deliræ fierent. Remeāti vero sanguini viæ rectæ, decliues & patentissimæ constructæ sunt, ad facilitatem motus. Ne partis frigidissimæ contactu recrudescens & incrassatus hæreret in angustiis, indeque venis interceptis Apoplexiam committeret. Cæterum partes principes insitis facultatibus proprias obeunt functiones, idque concessum partibus ipsis ignobilibus. Verùm cerebri motus aut actio sita est in dilatatione & contractione, quarum vicissitudine spiritus animales ex attracta materia conficiuntur, & amandantur in singulas partes. Proindeq; cerebri motus ab arteriarum pulsatione non editur: alioquin enim cerebrum non esset principium facultatis animalis, sed ipsum cor.

---

*Expositio quarumdam Coacarum prognoseon ex lib. 2.*

Coaca quarta capitis primi de Cephalalgia.

*Percussiones capitis, oculi prærubri, manifesta deliria mortifera. Hæc tamen ægrum non interimunt hæmorrhagia superueniente, sed abscessum faciunt pone aures.*

MAximi & malignissimi sunt affectus, qui nobilissimæ partis functiones omnes vehementer offendunt. Huiusmodi sunt illi quos bilis incandescens & effrænis excitare solet in capite, quoties egressa naturæ limites ex hypochondriis ad illud excurrit. Ita dolore concutit vniuersum caput, & in omnes effusa partes ope tenuitatis neruorum principium percellit. Inflammationes mouet in cerebri mēbranis, à quibus in oculos cum rubore propagatur. Denique cerebri substantiam planè perfundit & immutat illius temperiem: vnde manifesta principum functionum deprauatio. Verùm quamuis hæc omnia periculosissima sint, ea tamen hæmorrhagia superueniente solent exolui. Hæmorrhagia quippe tenues & ad excretionem paratos humores omnes euacuat; crassiores autem qui que maximum negotium facessunt, illi natura victrice deponuntur in articulos & pone aures. Sic hæmorrhagia sola magnis affectibus exoluendis impar, eos percurat ope decubitus in articulos.

5. *Cephalalgiæ cum dolore sedis & pudendorum, torporem & vacuitatem crisis inducunt, ac vocem debilitant. Hæc admodum difficilia non sunt, quia somnolenti & singultuosi fiunt nono mense. Deinde tamen soluta voce pristinæ sanitati redduntur.* Hæc prognosis accedit ad secundam huius capitis.

Affecto principio necesse est partes omnes, in quas illius rami propagantur, iure societatis affici. Neruus autem sextæ coniugationis in omnes penè subiectas partes producitur. Vnde mirum nō est, si quoties ea cerebelli pars à qua neruus ille ducit originem, prauis & frigidis humoribus perfunditur vniuersum corpus obstupescat, nec vlla crisi liberetur malis quibus vrgetur. Quia defectus crisis prodit ab imbecillitate partis illius, & humoris morbifici crassitie. Porrò maximè spectabiles sunt nerui quos pudēda, sedes & larynx ab illo neruorum pari mutuantur. Ideoque functiones earum partium vehementer offenduntur ex illius affectione. Verùm si contingat vt hæc omnia symptomata septimo mense non desinant, ea propagantur octauo nonoque mensibus in ipso neruorū principio, accessione affectionum cataphoricarum. Nec non in ventriculo superueniente singultu, propter insignem sexti paris ramum stomachicum, quo totum contexitur illius orificium superius. Decubitus enim praui lentique succi, contumaciter adhærentis orificio superiori ventriculi, singultum parit. Nihilominus tamen hæc omnia symptomata tandē sedari possunt, & annua reuolutione crisim recipere; quia solutio morborum qui minimè iudicantur dierum circuitu neque septimo mense, differri solet ad anni reuolutionem quartæque tempestatis initium, quod idem est decimi mensis initium. Tunc enim sensim desinunt liberato primum principio, ac deinde soluta voce cæterisque deinceps symptomatis partium remotiorum discussis, itaut ęger pristinę sanitati planè restituatur.

*6. In illis qui vexantur ascaridibus, cephalalgia consectarium cum surditate coma facit vt parotides assurgant.*

Ascarides & rotundi vermes generantur & aluntur, in omnibus corporis cauitatibus, ex pituita putrescente. Quare si contingat, vt hæc illuuies assiduo decubitu fluat in aures è cerebro mutata recrementorum qualitate & copia: experientiâ constat ascarides in amplitudine aurium huiusmodi ęgrorum generari. Illi verò pessimis symptomatis afficiuntur, propterea quod ascaridum materia & alimentum tetris halitibus infert cephalalgiam, decubitu in aures & ascaridum generatione surditatem inducit. Vbertate denique & crassitie coma, quod non exoluitur alia ratione congruentius, quam decubitu materię totius in articulos auri vicinos. Quia pręcedens ille fluor in aures, & ascaridum generatio pręnunciant illam speciem solutionis, & ad eam crisim viam parant.

FINIS.